

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe


**Rector Universitatis Argentoratensis Baltasar Bebelius, S.
Theol. D. Eiusd. PP. Ord. Ecclesiastes Et Wilhelmitarum
Inspector! Lecturis Salutem PP.**

Bebel, Balthasar

Argentorati, 1665

VD17 VD17 1:021507Y

[urn:nbn:de:bsz:31-131136](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-131136)



42 A 1932, 15

RH

Nr. 3: Copinger 2152

WR 283

Nr. 4: WR 284

Nr. 5: WR 285

15.

EM



RECTOR

UNIVERSITATIS ARGENTORA-
TENSIS

BALTASAR BE-
BELIUS, S. THEOL. D.

EIUSD. PP. ORD. ECCLESIASTES
ET WILHELMITARUM IN-
SPECTOR!

sa. 6.

Lecturis Salutem PP.

(1665)



FATA VIAM INVENERUNT!

Vita enim non ita pridem defunctus est genere virtutibus Illustrissimus Dominus Dn. AUGUSTUS Comes de HARTECK, Dn. in *Blas & Machland* &c. Pincerna hereditarius Austriae & Stiriae Dapifer Hereditarius, Dominus noster, dum vixit, pet. Clemens, & illustrissimum nostrae Universitatis ornamentum. Faveamus igitur Augusto nostro, ut quondam suae Blefillae Hieronymus, qui de tenebris migravit ad lucem, & inter fidei incipientis ardorem consummati operis peceperit coronam. t. i. opp. Hieron. ep. ad Paul. f. 71. Quid enim non faveamus in eo, quod adhuc viventi fuit in corde, in ore, in calamo, in votis, & denique, DEO sic disponente, in fatis. FATA VIAM INVENERUNT! Hoc ipse quondam dictum ore circumtulit, & *φλοδηναι* inseruit perpetuum spei suae & desiderii monumentum. Fata autem intellexit non ea Parcarum stamina, quae simulantur vitas hominum de calathis aut trutinare de lancibus. Quod deliramentum ne vulgo imputemus, aut nimium philosophos admiremur, Platone etiam delirante narratur, qui in gremio anus pensum necessitatis exponit, & tres ei filias addit concinnantes & versantes fusum, & persila ludentes. Hoc scilicet lanificio autumans eas conficere res hominum, & tempora cuius, signate detexere, quae de fato censura est Paulini Episcopi Nolani, viri vel Hieronymi & Augustini elogis sanctissimi atque eximia quadam pietate praediti (Jac. Billi: observ. sacr. lib. i. c. 6.) in epistola ad Jo- vium: Non ea, inquam, mens fuit religiosissimi nostri *μαρτυροῦ*,


Vt miraretur textentem fila Platonem,

Aut Arati numeros, aut picta Manethonis astra:

Sed quae Hiskiae Judaicorum Regum *διοφιλιστι* erat, cum in Soteriis meminisset, unde vita pridem in periculum esset adducta, nempe à DEO vitae & necis Domino: *Pracisa est, inquit, velut à texente vita mea, dum ordire, succidit me.* Isa. XXXVIII. 12. Hanc ipsam Noster quoque Hardeccius intellexit Parcam, nempe illum, in cuius manu sortes nostrae versantur, DEUM, qui de vita & morte sapientissimè omnium disponit: Atque hunc jure meritoque intellexit: Omnia enim operum DEI, in quibus consistimus, & quorum pars sumus, omniaq. munerum eius, quibus inter vitae huius fragilis & caduca incerta regimur, atq. servamur, ad ipsum referamus, nihilq. ab illius potestate nostro removeamus errore, quia velimus, nolimus, ipse nostri

nostri, ut omnium, & Creator & DEVS, scribente eodem Præfule Nolanorum. Habet DEUS suum ipsius liberrimum arbitrium, juxta quod omnia vitæ nostræ negotia & pensæ dispensat, neque ea cæco impetu, ut paleas ventus dissipat, sed consilio longe prudentissimo, ut homines habeamus ubique locorum judicia DEI & vias, quas religiose miremur, non rimemur. *Vias* ille suas sectatur certas quidem & rectas, sed fatente ipso *cælorum conscio* Apostolo, nobis *ἀνεξερεύσις: impervestigabiles*. Rom. XI. 33. Iter equidem facit nobiscum DEUS præsentissimus, & manu nos ducit per tesqua viarum, sed nulla terræ vestigia imprimi, ut videri possint, sed instar navis, quæ mare sulcat, suum ipse locum confundit. Mundi viæ variæ sunt, in suas dissectæ semitas, ut sibi relictus viator nesciat, quem potissimum callem eligat, adeo singulos vel sua species commendat, vel pericula infestos reddunt. Accedunt mentis tenebræ, quas oculis offundit tenebrarum DEUS, quibus impediti per incerta viarum vagantur erronei, & pedibus non uno in lapide impingunt. Circumspiciunt quidem hodogetas, qui viam nesciis monstrant, aut portum, qui fluctuantes recipiat, aut montes, in quos anxii evadant, sed non inveniunt omnes, quod miseros confoletur. In has autem viarum angustias mens DEO dicata redigi sese non patitur; Nam DEUM habet secum, qui tutam præstet à periculis, & ducitur verbo in scripturis eo sine accenso, ut instar luminis vialis peregrinantes cum Domino in cælestem patriam perducatur. His instructus hodogetis Christianus vel cantare audet inter medios latrones, securus de itineris eventu, quem nullus dubitat suis votis esse responsurum. DEO auctore & ductore quod fit, feliciter suscipitur, & ad nutum finitur; Nam sapiens ille est in consiliis inveniendis, potens in exequendis, & fidus in eos, qui ipsi consili sequuntur, quo ducit euntes. *Omnem igitur sollicitudinem vestram in eum projicite, quoniam ipsi cura est de vobis*, monet Apostolorum *os*, Petrus 1. cap. V. 7. Edoctus à Davide, qui & ipse DEUM facit bajulum, in quem onera rejiciamus nostra. Ps. LV. 23. Nec id temere; Nam DEUS ipse id nobis auxilii promisit. Ps. L. 15. *Invoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me*: Hoc docente, lucente, ducente, & eripiente fata viam inveniunt, invenerunt, invenient. Invenerunt verò viam, eamque felicissimam in vitæ ingressu, quem Illustrissimus noster *o margéris* habuit

buit, die 1. Augusti An. 1642 cum in illustri nunc Hardecciana familia arce, **Westenthurn** dicta, quæ in Austria est, nasceretur. Ufus enim est parente Illustrissimo Domino Dn. PHILIPPO Comite de Hardeck in **Glas & Machland** &c. vñ *en azjouis* & Matre Illustrissima Domina Dn. EVA MARIA Comitissa de **Sinzendorff** &c. adhuc per DEI gratiam, atq; utinam diutius! superstite; In maioribus igitur suis & cognatis numerare potest Comites, Barones, ac Dominos antiquissimo generis splendore, virtutū ornamentis, rerum gestarum gloria, atq; officiorum eminentia hodie quoq; in aula Casarea illustrissimos, Perillustres, Eminentiss. gloriosiss. Insuper & thesauraria imperii dignitate, quæ Sinzendorffianæ familiæ nunc tēporis hæreditaria est, auctos; En tibi utriusq; cum paternæ tum maternæ originis seriè aliquousq; productam:



Illustrissimus igitur & felicissimus erat noster Augustus, quod
eos maiores habuerit; sed felicior adhuc, quod sincere religionis
& pietatis studiosos parentes nactus sit, ut non vitam tantum ab
ipsis acciperet, sed cum vita prima quoque melioris vite elementa.
Hanc iterum fata viam invenerunt in vite progressu. Nam post-
quam vitalem auram hausisset baptismi undis ablutus i. e. DEO
suo initiatus est, ut inter filios eius & heredes aeternae vitae nu-
meraretur. Nec hic substitit Illustrissimorum Parentum pietas
de sobole sua praclarissime mereri; Nam ut adultiorem viderunt
& aptam solidioribus cibis concoquendis Pofonio celeberrimae
in Hungaria Metropoli pignus hoc suum charissimum credide-
runt, ut bonis in ea literis imbueretur. Substitit tibi locorum
biennium, cum Viro Clarissimo Dn. JOHANNI CHRISTO-
PHORO *Wagenfeyl* committeretur in inclytam Noribergam
& huius celeberrimam, quae Altorfi est, Academiam deducen-
dus; sed vix aliquot menses in ea commoratus, variolis grassanti-
bus, Heidelbergam cum Dn. suo Ephoro concessit; Sed nec hic in-
tegrum annum absolvit, Nam eo nondum exacto Francofurtum
sele ad Moenum contulit, in ea mansurus, donec ab Illustrissimis
Parentibus aliud evocaretur. Annum autem Francofurti confecerat,
cum ab illis ipsis Argentoratam nostram adire juberetur. Adiit
igitur Athenas Afsaticas Anno 1660. vere arridente. Hospitio ex-
ceptus à Viro Pl. Reverendo Amplissimo atq; Excellentissimo Dn. SEBA-
STIANO SCHMIDIO, S. Theol. D. P. P. Ord. ecclesiastico; Capitula
Thomani Canonico; Dn. Fautore, Praeceptore atq; Collega nostro plurimum
colendi; Huius in aedibus *ab omnibus* & *ab omnibus* acceptissimus vixit
ad extremum vitae halitum. Interea qualem sese apud Nos gef-
ferit lubens meritoque dicerem, si vel angustiae pagellarum am-
plissimarum virtutum encomia caperent, vel suspensionem adu-
lationis non incurrerem, & ideam potius, quam exemplum Illu-
strissimi Comitis, devotissimi Christiani, & diligentissimi stu-
diosi describere non viderer. Jam verò & dicendum mihi est de
Augusto nostro, quod olim de Paula Hieronymus: *Si cuncta corpo-
ris mei membra verterentur in linguam, & omnes artus humana voce re-
sonarent, nihil dignum sancti ac venerabilis (Hardecii) virtutibus dice-
rem.* Pietatem ille in primis virtutibus coluit, quod testantur
preces ad DEUM quotidie sonora voce directae; Biblia sacra,

quæ itatus cubitum legit, & surgens è strato relegit; colloquia
quæ de mysteriis sacris cum amicis miscuit, templa, quæ fre-
quentissimus adiit; adeo ut vel inter meos Auditores de ipso
quoque attentissimo possim gloriari: Nec fuit auditor solum, sed
& operarius eorum, quæ audiverat, ut in ipsum congruat, quod
in suo Valentiniano laudat Mediolanensium Præsul Ambrosius:
*Tanta fuit emendatio vite eius in illo omnibus lubrico adolescentia tempo-
re, tanta laus morum eius, ut omnem memoriam doloris obducat. Quod
enim obiit, fragilitatis est, quod talis fuit admirationis.* Vidisses ele-
gantiam in moribus, reverentiam in vultu, gravitatem in gres-
su, prudentiam in sermone, sanctimoniam in quotidiana vi-
ta; summa, in factis & operibus renitebat gratia, in quo & plenum vir-
tutis & auctoritatis regalis esset alloquium, ut iterum Ambrosii verba
mutuemur. Nec mireris hos Illustrissimi Juvenis mores, si cõ-
gitaveris studia, quæ indefessus excoluit, excultus & ipse ab iis-
dem. Nec enim in tanta licet eminentia otio ille litavit, aut vo-
luptatibus sese dedit, sed literis, quæ mores non sinunt esse fe-
ros, aut animum sapientia expertem. Usus autem est opera,
& privata quidem Clarissimorum suorum Ephorum prim-
um Domini Wagenfeilii; deinde Viri Præcellentis Dn.
CHRISTIANI HAUPT, Mifnici; Fautoris & Amici no-
stri multum colendi; & quia generosissima indoles plus ultra
cogitabat frequentavit etiam Virum Academia nostræ Cele-
berrimum; Nobilissimum, Amplissimum, Excellentissimum Dn. IOH.
HENRICVM BOECLERVM, S. Caf. Majest. & Eminentissimi Electo-
ris Moguntini Consiliarium, Comitem Palatinum Cesareum, & historia-
rum in Vniversitate hac Argentoratensi Professorem Clarissimum; Dn.
Fautorem, Præceptorem, Assinem, atq; Collegam nostrum merito observan-
dum. Ex hoc cum historiarum & prudentiæ politicæ solidiora
studia percepisset, in Jurisconsultorum quoque castra sese con-
tulit; Nam audivit privatis in Collegiis Viros Nobilissimos, Amplif-
simos atq; Consultissimos Diversorumq; Imperij Statiuum Consiliarios gra-
vissimos: Dn. Patronos, Fautores, atq; Collegas nostros venerandos: Nemp-
pe Dnn. IOHANNEM REBHANIVM, V. I. D. & PP. Comitem Pal.
Caf. Collegij Iuridici Antecessorem seniore: ut & Dn. FRIDERI-
CVM DECKHERRVM, I. V. D. & Pand. PP. celeberrimum, quo-
rum fide & dexteritate eo usque profecerat, ut parum spatii ad
supre-

supremum in jure civili cognoscendo fastigiata restaret. *Quam igitur beata fuisset resp. si eum diutius servare potuisset!* Denuo Ambrosii de Valentiniانو verba usurpamus; *Sed quia vita sanctorum non hic in terris est, sed in caelo. Iustus enim vivere Christus, & mori lucrum, quia & dissolvi, & cum Christo esse, multo melius) dolendum est, quod nobis cito raptus sit, consolandum, quod ad meliora transferit.* Nempe invenerunt fata viam quoque felicissimam in vitae egressu. Grafabantur morbilli, quos Graeci Erythremata, Germani die *Röthe / Masern / Purpurn / Kindesflecken* vocant: Licet autem sibi omni studio Augustus noster, gloriosissimae memoriae juvenis, à contagio caveret, tamen ista lue correptus est & ipse. Medici quidem, & in his Venerandus Nostrae Universitatis Senior, Nobilissimus, Experientissimus, atq; Excellentissimus Dn. MELCHIOR SEBIZIVS, M. D. & PP. Comes Palatinus Casareus, Reip. Archiater, & Capituli Thomani Praepositus, Dn. Patronus, Fautor atq; Collega venerandus; adiuncto sibi Filio, Viro Nob. Exper. atq; Excell. Dn. ALBERTO SEBIZIO M. D. PP. celeberrimo, Fautore nostro atq; Collega observando; omnē quidem hi industriam adhibuerunt, ut illustrissimus Hardeccius salutem recuperaret; sed DEO aliter visum. Nam tandem inter lachrymas precesq; circumstantium, praeeunte Viro adm. Rev. Dn. GEORGIO CHRISTOPHORO AEGAERO, Pastore Thomano, & Confessario; pie ac placide defunctum die 28. Martii Anni huius currentis 1665 postquam undecim dies cum morbo esset conflatus, ad caelestem Academiam evocavit. Fata igitur viam invenerunt è terra in caelum, ab infimis ad suprema, ab hominibus ad DEUM. Quid igitur, Illustrissimae animae, Mater, Fratres, Sorores, Cognati, Affines doleatis? An quod mortuus sit vester ille Augustus? Imò in caelis ille ipse jam triumphans cum Apostolo Paulo *lucrum maximū jam computat seculi laqueis non teneri, jam nullis peccatis & vitiis carnis obnoxium fieri, exemptum pressuris angentiū. & venenatis diaboli faucibus liberatum, ad latitiam salutis aeternae Christo vocante proficisci, quae est dicti Phil. 1. 21. paraphrasis apud Sanctissimū Martyrū Cyprianē d. Mort. f. 347. opp.* An, quod in primovita cursu occidit? Imò raptus est iustus, ne malitia corrumpere: intellectum eius; & perfecta est aetas ubi, quae in ipso fuit, perfecta est virtus. Judice Ambrosio de obitu Theodos. An, quod inter peregrinos? Imò sarcina carnis abiecta ad suum animam revolavit auctorem &

171 410-

egit; colloca
 pla, que fr
 ditores de m
 ditor solam
 congruat, qu
 ni Ambrosiu
 alefantiem
 larat. Am
 Videtur
 ritatem in p
 quocumque
 no & plura
 Ambrosio
 us mores, h
 us & ipse d
 litavit, au
 finant esse
 tem est ope
 bororum p
 cellentis D
 & Amici
 plus ultra
 Cele
 m DN. 10 B
 mignone
 m & h
 rissimam; D
 vici observ
 tice solidior
 ita tale co
 vsumant
 vntiam; N
 Comitem
 R I D E R I
 riam, quo
 um spatio
 lupte.

384
in antiquam possessionem diu peregrinata ascendit, ut de obitu Bleffilæ ad Paulam matrem scribit Presbyter Stridonensis. Addit quod huc quoque facit: Amisio illius, inquiens, cælestis domus habitatio est, quæ, (anima) quamdiu in corpore fuit, peregrinata est à Domino, & voce flebili querebatur, dicens; Heu mihi, quia peregrinatio mea prolongata est! Lugeatur mortuus, sed ille, quem gehenna suscipit, quem tartarus devorat, in cuius pœnam æternus ignis astat: Nos, quorum exitus Angelorum turba comitatur, quibus obviam Christus occurrit, gravemur magis, si diutius in tabernaculo isto mortis habitemus, quia, quamdiu hic moramur, peregrinamur à Domino. Illa illa nos cupido teneat. Sic ille nos informat, quomodo mortem nostrorum inter peregrinos defunctorum feramus, nempe patienter, cogitantes omnem hanc terram esse locum extra patriam nostram: Nam hæc cælum est; ut inter peregrinos moriamur, ubicunque moriamur. Id igitur, cum D. Ambrosio, postulo, ne vel infixum pectori vestro fratrem (Filiam, Cognatum, Affinem) duris gemitibus relevetis, vel avertatis planctibus, vel requiescentem excitetis. Ille vobis maneat in corde, ille vivat in pectore, ille amplexibus piis hæreat, ut solebat; ille fraterna oscula premat, ille semper in oculis sit, semper in alloquiis, semper in mentibus; ille jam talis, ut ei nihil timeatis, sicut ante, obliviscamini eius ærumnam, teneatis gratiam. Vos autem Cives Academici, & quotquot præterea nuper mirabimini incomparabiles Comitum Hardecii virtutes, & memoriæ adhuc favetis gloriosissimæ, Vos omnes & singulos officiosè & peramanter invitatos volo ad exequias, quas ultimo honore defuncturi ibimus die 20. Junii hora I. pomeridiana, ex ædibus Dn. D. Sebastiani Schmidii, ad aream Thomam sitis, versus ædem D. Thomæ, quæ ossa defuncti custodiet, donec in extremo die suæ eadem animæ restituta reflorescant. Valete. Per scriptum Argentorati die XVIII. Junii. Anni M. DC. LXV.

ARGENTORATI,

Excudebat JOSIAS STÆDEL, ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

